



DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

DE

ICTERO GRAVIDARVM  
CIRCUMSPECTE  
TRACTANDO.

QVAM

AVSPICE DEO PROPITIO ET CONSENSV AC AVCTORITATE  
AMPLISSIMI ORDINIS MEDICI

IN ALMA REGIA FRIDERICIANA

PRÆSIDE

VIRO ILLUSTRIS EXCELLENTISSIMO ATQVE EXPERIENTISSIMO

DN. JOANNE JUNCKERO

MEDICINAE DOCTORE EIVSDEMQUE PROFESSORE  
PVBLICO ORDINARIO, ORPHANOTROPHEI HALENSIS  
ET PAEDAGOGII REGII PRACTICO

DOMINO PATRONO, PRÆCEPTORE, AC PROMOTORE  
AETATEM COLENDO

PRO GRADV DOCTORIS

SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS AC PRIVILEGIIS DOCTORALIBVS  
RITE CAPESSENDIS

AD D.

APRIL. ANNO MDCCXLVII

H. L. Q. C.

ERVEDITORVM SVBIIICIT EXAMINI

IOANNES LEOPOLD. AMAND. SCHVNEMANN  
MAGDEBVRGENSIS.

HALÆ MAGDEBVRGICÆ,

TYPIS IOANNIS CHRISTIANI HILLIGERI, Acad. TYPOGR.



DISSERTATIO INVIKIPRIVILEGIUM MEDICAE

DE

ICTERO GRAVIDARVM  
CIRCUMSPICTE  
TRACTANDO.

GRAM

AVSTRIE DEO PROPTIO ET CONSENTIO AC VICTORINATE

AMPLISSIMI PRINCIPIS AUSTRIAE

IN ALBA REGIA TIBERINA

PRÆSIDIS

PRO IN VITAM BICENTENARIAM VITÆ ET BENEVOLENTIÆ

DR. JOHANNIS JUNGKERRO

MEDICINAE DOCTORE EMERITO ET PROFESSORI

PUBLICO ORDINARIO OBSTETRICÆ ET PNEUMONICÆ

ET FACULTATIS REGIÆ PRÆCIDI

ESSENIS PATRONO PERCEPTORE AC PROMOTORE

LETATAM COLLEGI

PRO GRADU DOCTORIS

AVSTRIÆ IMPERII AUSTRIÆ REGNI ET BOHEMIAE REGNI

ET SILESIAE REGNI

IN ALBA REGIA TIBERINA

H. J. C.


AVSTRIÆ IMPERII AUSTRIÆ REGNI ET BOHEMIAE REGNI

IOHANNIS FERDINANDI AUSTRIÆ ARCHIDUCIS ET REXIS

MAJESTATIS

AVSTRIÆ IMPERII AUSTRIÆ REGNI ET BOHEMIAE REGNI





## PROLOGVS.



Quum multis in rebus, non modo imperitæ multitudinis, sed & eruditorum quorundam hominum, peruersa iudicia peruersamque agendi rationem licet intueri; tum in medicina facienda maxime, quod non pauci in remedia sæpius incongrua & methodam medendi ab ipso morbo, aliisque eiusdem rationibus, quas accurate & circumspicte debent considerare, caeco impetu & citra omnem præmeditationem feruntur, & omnia fere *προπειτως ηχι απερισκοπως*, sine bonæ mentis religione atque serîa salutis hominibus restituendæ cupiditate exsequuntur. Sane verò medicæ curationes ita instituuntur oportet, vt vitæ humanæ, quippe rei omni sollicitudine atque attentione dignissimæ, vere & perire succurratur. Hoc autem plane non aliis remediis, nisi *ratione & consilio* potest obtineri. Possem hanc  
rem



rem multis testimoniis atque exemplis comprobare; verum quid in eiusmodi caussa, ubi omnia luce clariora sunt, pluribus opus est verbis? Non tamen queo mihi temperare, quin viri clarissimi, philosophi ac medici, MARSILII FICINI verba in medium proferam, utpote qui *Libr. III. epistolar. Medici officium est*, rectissime inquit, *cogitare, quando aegrotantes adit, de vita hominis agi, ubi nihil sine RATIONE audeat tentare, nihil sine CONSILIO*. Et profecto, si quicquam est in re medica, quod sollicitam rationem & prudens consilium a medico requirat, atque iure suo etiam mereatur, sunt morbi grauidarum feminarum, imo vero infantum, quippe in quibus medici non raro grauissime solent vapulare. Etenim grauidis atque infantibus rite & dextre mederi, in medicina facienda duo in primis grauia esse negotia, non superioribus solum temporibus egregie cordatiores agnouerunt medici, sed illam ipsam rem hodie quoque vniuersi medicorum non sine religione aegrotis medicinam adhibentium ordinis suffragio exploratam deprehendimus & confirmatam. Nec credo, facile quempiam, tota cogitatione grauidarum conditionem secum reputantem, esse futurum, qui hoc in dubium vocare audeat, sed potius profiteatur necesse est, facili omnino negotio fieri posse, ut grauidas, quippe non de sua ipsorum vita solum, sed etiam foetus sub curatione periclitantes, medicus profanus, parum sollicitus minusque circumspectus, qui, quicquid in mentem venerit, illud statim non subducta ratione instituit, tentat & moli-



molitur, licet non semper statim in vitae discrimen, tamen saepius in damnum possit conicere longe grauissimum. Quae quum ita sint, & medicum religiosum nullo non tempore in arduo sanitatis humanae conseruandae, & si laesa fuerit, restituendae negotio non rationem solum adhibere, id est, nihil sine caussa, neque alio modo, nisi secundum caussarum aliarumque rationum proportionem, comparisonem & coniunctionem agere oporteat, sed haec quoque consilio seu circumspecto rationis vsu, sollicito & praemeditato studio in morbo praesentem exsequi, facile possumus perspicere, quod inde exsequitur, in omnibus grauidarum morbis, de quibus mihi in primis sermo est, id potissimum a medico requiri, vt enixissima contentione eo laborare an nitatur, ne per curationes incongruas vtraque, & matris & foetus, oeconomia aliquid capiat detrimenti. Imo vero in quibusdam grauidarum affectibus, illis in primis, qui supremis gestationis mensibus a foetus sarcina oriri solent, vtpote *difficili respiratione, coxarum & lumborum dolore, inflationibus crurum varicosis, lichenibus cet.* consultius est, medicum plane nihil, aut saltem parum, scilicet symptomatum mitigationem suscipere, quam eosdem multis inconsiderate aggredi medicamentis, quippe qui ita sunt comparati, vt potius vsque ad ipsius partus tempus, quo sua sponte abire atque euanescere solent, tolerandi sint ac differendi. Hoc enim si quis temere ac cupide tentaret, efficeret id, quod CELSVS de epilepsia minus sollicito tractata



scribit, vt in multis grauidis ita misero auxilio & peruersa medendi methodo tolerabilia mala faciat multo miseriora. Praefari me eiusmodi in aliorum admonitionem, plane non est conamen superuacaneum, nec obiici mihi debet, non facile profecto in re tam ardua quemquam fore medicum, qui negligentiae aut inconsultae temeritati indulgeat; contrarium enim quotidiana loquitur experientia. Ambabus largiuntur omnes, medicos interdum scitu maxime necessaria ignorare, *γενοῦται τῶν μελανουραν.* vti PYTHAGORAE est prouerbium, hoc est, gustant, quæ nigram caudam habent, aut potius saepe, τῶν ανουραν, quæ nullam habent caudam, hoc est, quæ ad vsum medicum nihil faciunt; quum tamen egregie implere deberent illud, quod ARISTOPHANES dicit *in ranis*: Ταυτα μὲν πρὸς αἰδρὸς ἐστὶ Νουν ἔχοντος καὶ Φρενας, - - - μετακυλινθεῖν αὐτὸν καὶ πρὸς τὸν εὐπραττοντα τῆροισιν, viri prudentis cordatique & circumspecti est, semper applicare se ad id, quod felici praxi est apprime idoneum. At vero multi quidem, vt cum HORATIO loquar,

Discunt assem in partes diducere,  
 ---- Si de quincunce remota est  
 Vncia, quid restet? poterant dixisse: triens.

Ceterum praxin dignam non indicant, nisi quam  
 ὅς ἐν παραδῶ nouerunt, & cruda studia, licet μετα πολλῆς Φαντασίας in aliis rebus omnia crepantes, ad eandem propellunt, adeo vt multis ægrotis eiusmodi  
 medicos



medicos vel non vidisse multo satius fuerit, nedum se ipsorum curæ plane tradidisse, in quorum omnino dedecus illud MARTIALIS ad FAVSTINVM quendam scriptum:

Lotus nobiscum est, hilaris cœnavit, & idem  
Inuentus mane est mortuus ANDRA-  
GORAS.

Tam subitæ causam mortis, FAVSTINE,  
requiris?

In somnis medicum viderat HARMO-  
CRATEM.

Aut si quidam meliora sint edocti, interdum tamen nescio qua anathymiasî experiendi abrepti quoduis potius in hac vel illa, ex ipsorum opinione, vili anima propinare, quam serio per secura remedia ad vitam ægroti conferuandam omnia ratione & consilio agere, malunt. Commode mihi hac occasione venit in mentem, quod MVRETVS quidam ægro- tans duobus arcessitis medicis, vltro citroque coram ipso de morbi indole sermocinantibus, ipsam latine scire nescientibus respondit; dum enim in nouum quoddam remedium, experientia necdum probatum incidenter alter alteri diceret, faciamus periculum in anima vili! ille MVRETVS erecto corpore & clara voce exclamauit: vilem animam appellas, pro qua CHRISTVS non dedignatus est mori? vid. ME- NAGIANA. Itaque viderint eiusmodi medici, & causam aliquando dicant coram CHRISTO. Ego vero



vero qui non minus decorum, quam utile, necessarium & religiosum esse medico semper existimatus sum, pro viribus eo conniti, ut omnia ratione & consilio præstentur, seu, uti dicit HIPPOCRATES, nihil temere, nihil timide, nihil negligenter agatur, sequar hac in re cordatiores medicos, qui de gravidis optime mereri fategerunt. *Vid. Stollens medicinische Gelahrtheit.* Hinc thematis mei selectum, *de ictero gravidarum circumspecte tractando*, haud insubidum esse duco, spem plenam fovens, fore, ut adhibita mea in illo expediendo qualiscunque opera æquum benevoli lectoris subeat examen.

## §. I.

Quum igitur de hac materia agere apud animum constituerim, superfedere quidem possem enarratione eorum, quæ *e pathologia* icteri considerationem ingrediuntur; partim quia est morbus, tamen si paullulum raro occurrens, vel apud vulgum notissimus, partim quia vir etiam post abitum clarissimus, professor SCHVLZIVS, & b. D. HARTEMANNVS suis dissertationibus de hoc morbo in academia Fridericiana publice separatis temporibus disquisitioni propositis ingens mihi fecerunt otium: sed tamen huic meæ qualicunque operæ aliquid deficit, potiora momenta e pathologia quasi per *avvuz Qadasiu* repetita præmittam, methodum medendi circumspectam atque in gravidis ictericis maxime necessariam, sanioribus principiis nitentem, deinde subiuncturus.

## §. II.



§. II.

Itaque vt omnia ratione atque ordine procedant, ac morbus statim ex indole sua nobis innotescat, ante omnia merito, quid proprie per *icterum* intelligamus, erit definiendum. Est vero *icterus diffusio bilis per vniuersum corporis habitum, vel ab obstructione ductus cholidochi vel ab hepatis constrictione, transitum bilis ad folliculum & intestina intercipiente, duceus originem.*

§. III.

Prius vero, quam ad specialiozem accedam considerationem, quædam in antecessum monere me oportet, nimirum non exiguam esse differentiam *icterum flauum* inter & *nigrum*, quæ tamen ex vtriusque signis & caussarum interpretatione, paullo post suppeditanda, luculentius patebit. Præterea quoque distinguendus *icterus idiopathicus* est a *symptomático*; ille enim sine alio morbi prægressu per se exoritur, hic vero aliis morbis succedere solet, idque aut *critice*, e. gr. *febribus acutis, biliosis, inflammatoriis* cet. aut *non-critice*, e. gr. *febribus intermitten-tibus*, in quibus simul vitium quodcunque in vitceribus venæ portæ venit in suspicionem; vel denique ex aliis rationibus physicis, aut sensim aut violento modo sese exferentibus, est deducendus, de quibus infra dicemus explicatius.

§. IV.

Vnde vero hic morbus dicatur *icterus*, quænam sit vocabuli ratio & origo, quænam eius synonyma, in eam rem, quippe a tractatione mea alienam & ad

B

finem



finem medicum nihil facientem, in præsentia curiose aut potius tædiose fedulus vt inquiram, nihil attinet; cui vero talia nosse volupe est, modo laudatas adeat dissertationes, quæ huic desiderio, quoad sufficit, omnino satisfaciunt. Ego vero ad phænomena morbi ipsius excutienda progredior, vt postea de causis & reliquis inde deducendis momentis eo melius atque intelligentius exponere possim.

## §. V.

Inuadit hic affectus, præsertim si iracundia ipsam ansam dedit, cum leui *horrore*, quem insequuntur aliquando *febricula* & insignis *lassitudinis* sensus. Hunc mox *strictura* & *compressio* sub scrobiculo cordis excipit, insignes adferens dolores, tamquam specialissimum omnibusque ictericis familiare symptoma. Exinde etiam fieri aliter non potest, quam vt cum illo *respirandi difficultas* & præcordiorum *angustia* coniungatur, quæ, quo vehementior strictura, interdum plane fieri solet *suffocatiua*, adeo vt *obambulatio* & *decubitus*, nisi penitus impediatur, saltem reddantur difficiliores, & melius se habeant eiusmodi icterici, quando erecto sedeant corpore. Imo omnes icterici atrocissimos dolores, lancinantes & punctorios in *hypochondrio* plerumque *dextro* æque ac sub scrobiculo cordis sentiunt, coniunctis spasticis dorsi cruciatibus, qui, si illis accedit pertinax alui obstructio & crebriores vomendi conatus, indicio esse solent, cystidem & ductus excretorios materiæ tophaceæ vel calculorum obstructione occupari. *Vid. Causf. Appetitus* ordinarie languet, non solum



*de Ictero grauidarum circumspecte tractando.* II

solum ob hostem oeconomiae humanae infensissimum, e diuerticulo suo egressum, atque hinc inde diuagantem, sed etiam ob impeditum nutritionis negotium; quin ubi aegrotantes omnino aliquid cibi assumunt, statim pressioni illius circa scrobiculum persentiscunt incrementum. Ceterum *aluus* interdum modo est *segnior* modo *laxior*, idque pro conditione bilis excretionis in intestinum duodenum; *laxior*, si illa non penitus sublata intestinis aliquem adhuc dat stimulum; *segnior*, si fere plane est sublata, unde etiam fieri solet, ut deficiente nutritione excrementa aut lienterica sint, aut, ob defectum humoris biliosi, colorem flauum cum iisdem communicantis, pallida reiciantur. In primis autem signum illud peculiare atque in dies ingrauescens, *fluedo* seu bilis diffusio primo quidem in oculis, deinde autem in omni corporis peripheria satis mature prodit, imo in saliuâ & vrina aperte manifesta, quin ne vngues quidem manuum & capilli excipiendi sunt; & ut paucis me hic expediam, omnes non solum partes solidae, exteriores atque interiores, sed omnis humorum massâ a bile diffusa inquinantur, quod adeo verum est, ut vena ictericorum secta interdum ne guttula quidem boni sanguinis rubicundi, sed liquor flauae iumentorum vrinae non dissimilis effluat. Quum igitur praeternaturalis humorum & partium eiusmodi constitutio vniuersam corporis oeconomiam adeo afficiat, facile inde perspicitur, quid sit, cur in ictero cum *motuum naturalium* difficili successu etiam *animi* conspiret languor



& fastidium. Ad *icterum nigrum* quod attinet, quia in illo maior humorum & partium solidarum, in primis internarum, præsto est corruptio, etiam omnia recensita symptomata grauiora esse solent; maior gradus *languoris* & corpore & animo, *color* non solum in oculis, sed etiam in tota corporis peripheria, vrina & subinde saliu, plumbeus & nigricans apprehenditur; circa hypochondrium *sinistrum* dolores satis pressorii & nonnunquam durties quædam sentiuntur, hecticam plerumque coniunctam habentes. Tamen si vero dentur quidam homines, qui per plures annos colore nigro suffusi valetudine fruuntur satis tolerabili, nihilo tamen minus quasi icterici chronici de vitio viscerum sunt suspecti.

## §. VI.

Quum vero causæ huius morbi mox enarranda in omnibus hominibus locum habeant, facile inderit, etiam omnes vtriusque sexus homines, cuiuscunque sint temperamenti, in quibus illæ vim suam exerunt, ictero esse obnoxios, & proinde nemini illum esse morbum proprium. Interim tamen non negandum, icterum ob temperamenti rationem, faciliores & vehementiores animi & frequentiores commotiones *cholericis* præ aliis esse familiarem. Maxime autem hoc valet in *feminis cholericis*, quippe quarum multæ per sensibilitatem & conspirans temperamentum facillime stomachantur, & quia interdum valde pronæ sunt ad taciturnas commotiones, quid mirum, si deinde natura indignabunda in hostem internum, humorem biliosum, desæuiat, & icterus



icterus in illis deinde exoritur. Hæc autem sensibilitas mirum quantum tempore grauiditatis ingrauescit, hinc ob multa alia hic conspirantia eo facilius fieri potest, vt grauidæ ictero subiiciantur multoque grauiora præ aliis eiusdem patiantur symptomata. Præterea tamen silentio prætereundum non est, icterum non adeo frequentem esse morbum, atque vulgo existimatur, cuius rei veritas ratione eorum, qui tamen insigni, idque sæpius, perciti fuerint iracundia, tamen liberi ab illo manent, clarissime euincitur; quibus autem quælibet leuior causa animum commouet, in illis, si iam aliquoties icterici facti fuerint, facile abire potest in consuetudinem. Multo autem rarior est icterus niger, isque senibus magis, quam iunioribus familiaris.

§. VII.

Proximum iam est, vt me ad *causas*, quæ icterum producent, euoluendas accingam. Ex definitione supra data apparet, principem rationem esse vitiatam bilis eccrisin; tamen non semper statim per omnes ictericos dispalescat, vnde nam exortum fit hoc vitium. Frequentius quidem a *constrictione hepatis*, transitum bilis ad vesiculam illius & intestina interceptante deriuandum est; negari tamen nequit, interdum *obstructionem* tam *ductus cystici* & *choledochi*, qui bilem hepaticam & cysticam ad intestinum duodenum deferunt, quam *ductuum biliariorum*, bilem hepaticam a sanguine secretam excipientium & ad locum suum destinatum deducendum hoc vitium induci. Imo vero aliquando etiam ipse fellis



folliculus ab eiusmodi materia peregrina oclusus est, vt bilis exitum plane prohibeat. Et tamen HELMONTIVS & SYLVIVS non tam obstructioni quam constrictioni ictericorum *avrovisæ* nisi subscribere malint, tamen hæc, quod itidem per eandem edocemur experientiam, non semper valet, & vnus rei positio, non est alterius semper exclusio.

## §. VIII.

Iam de vtraque causa seorsum dispiciamus. In antecessum autem annotandum est, vtramque causam ad icterum efficiendum mirum adiuuari a conditione *materiæ peccantis* præternaturali, quando nimirum aut *quantitate* nimium abundat aut qualitate vitium contraxit. Si enim prius, omnem humorum massam inficit, aut in vesicula fellis copiose collecta exundat, quod facile contingit, dum sanguini, per hepar transeunti, accedente causa repente congestionem translatoriam seu potius restrictionem humorum ad hepar inducente, re-adsunditur, vel in ventriculo & duodeno cum chyllo permiscetur: sin autem posterius, idem fere inducitur effectus; quoties enim viscosa ac spissa nimis existit bilis, iusto tardius ex hepate in cystidem transit, & sub hac mora a sanguine translucida de nouo resorbetur & vniuersam humorum massam inquinat. Et sic cum *humorum* vitio quoque *organorum*, bilem secernentium & excernentium, *lesio* per causas occasionales facillime potest induci. *Causæ occasionales* autem, *obstructioni* ansam præbentes, sunt potissimum *addephagia* aut alia crassa & incondita *dieta*, *plethora*, *suppressio hæmorrhagiarum*  
*fluen-*



*de Ictero grauidarum circumspecte tractando. 15*

*fluentium repentina, e. gr. mensum, hemorrhoidum, quo casu icterus non raro hepatitidem præoccupat aut interdum illam consequitur; materia tophacea aut calculi in cystide fellea aut alia vitia chronica, e. gr. scirrhus hepatis constitutio cet.*

§. IX.

*Addephagia seu excessus in quantitate & qualitate esulentorum apprimè apta est ad icterum inducendum, idquod in pueris puellisque maxime obseruatur, quippe in quibus plerumque, si ictero corripuntur, causa obstructionis est accusanda. Quando enim cibi vel nimia quantitate vel nimio ingurgitandi impetu & præcipiti ingluuie ingeruntur, vel vtrumque simul contingit, non potest non fieri, quin per eiusmodi voracitatem debita ciborum concoctione intercepta ventriculi oneratio sequatur, per cruditates, aut foeda colliquamenta e cibis non debite fermentescentibus prognata, imo si viscidus lentor concurrat, & ventriculi antipraxiæ hæc omnia nequicquam obediant, sed vterius propulsa sanguinem conspurcent & spiffiorem reddant, præter alia inde pullulantia mala non leuis inde patet aditus ad icterum producendum; humores enim spiffiores, lentescetes & tenaces obstruunt vasa & sic negotium bilis fecernendæ & excernendæ efficiunt impeditum, vt per vasa lymphatica ad massam humorum regurgitare oporteat & sic partibus cutaneis flauum illum inducat colorem. Neque tamen puellæ puerique soli ob hoc vitium ictero sunt obnoxii, sed etiam adulti siue saporum peritiores siue cupidiores. Non raro  
autem*



autem adulti *spirituosorum* vsu abutentes fiunt icterici; quantum enim detrimentum eorum abusus humoribus & visceribus afferat, aliunde per experientiam satis superque est perspicuum. Quandoquidem acidum & sulphureum principium e. gr. in vino adusto vilioris fortis copiosius contentum humores coagulat & tenaces reddit, cuius rei testimonium luculentum sanguis e secta vena profluens supeditat; strenui enim spiritus vini potatores cruorem spissum, tenacem & quodammodo albicantem emittunt. Hepar redditur aridum & scirrhusum, adeoque negotium bilis secretorium & excretorium redditur impeditum, vnde præter alia vitia cacochymica nihil facilius, quam icterus inde sequi solet. Sed redeo ad *αδδηφωγίαν*, quia pauca quædam supra allatis adiicere e re mea esse videtur. Inter *feminas* plurimum incommodi affert *αδδηφωγία gravidis*, quæ si subinde aut domi aut in conuiuio palato nimium indulgeant, non raro sæpius dicto malo obnoxia obseruantur. Quemadmodum vero in *tenerioribus* hominibus omnes digestionis & concoctionis vitia longe sunt sensibilia, quam in robustioribus, ita euenit etiam hoc malum promptius & violentius *gravidis*, vtpote quibus sub gestationis circumstantiis longe maior sensus etiam leuiorum in diæta vitiorum se exerit. Auget vero in illis edendi auiditatem *temperamentum*, & aptissimum est ad hanc rem *cholericum*, in primis si accedant vitia gravidis familiaria, *malacia* & *pica*, vbi quædam non prius acquiescunt, quam *malaco* & *picanti* appetitui suo satisfecerint. Pessime



Pessime etiam se habent, si edendi aviditas in illis tanquam rei arbitrariæ assuefacta ita insolescat, ut deinde per ipsam consuetudinem sæpius edendi desiderium vel ipsa memoria exciterur. *Femine* quidem *gravidæ* non modo per se sanguinis & corporis sui, sed simul *embryonis* nutritioni prospicere debent, & exinde omnino copiosiore, quam extra hunc statum, egent alimento, illudque in primis illo tempore, quo incrementum corporis admodum increbrescit, id quod fit quatuor aut quinque postremis gestationis mensibus. Sed quando in successiva assumptione modum non seruant, quid mirum, si in illis inde idem effectus, atque in aliis, ab eiusmodi *αδδηθαινα* insequatur. Sed abeamus iam ab hac causa, & videamus, qua ratione plethora, cum primis hæmorrhagiis fluentibus repente suppressis, huic malo ansam præbere possit.

§. X.

Profecto sola *plethora* huic sufficit, quam quod maxime. Illa enim æquilibrium inter partes fluidas & solidas aufert, resistentia nimirum solidarum adgrauata & debilitata, idque eo magis, si eius *flua*, ut ita loquar, *spissitudo*, suam etiam conferat symbolam. In primis hoc in naturæ laboribus propter spissiorum sanguinem circa *venam portæ* observatur. Quo fortior ergo exinde existit impetus partium fluidarum ad partes venæ portæ vicinas & cum ea conspirantes, quo magis repente hoc fit, eo minus partes consentientes, imo interdum nequicquam, resistere possunt, & ita deinde *tono* vasorum ac partium debilitato

C



litato sanguis modo hic, modo illic regurgitat, redundat, opplet, obstruit atque infarcit, & sic per impeditum sanguinis cursum circa venam portæ atque hepatis cum illa communionem negotium bilis secretorium & excretorium inuertitur & facillime tandem producit icterus. Speciatim hoc occurrit in virorum hæmorrhoidibus, virginum ac feminarum mensibus obstructis; vasa enim sanguinem hæmorrhoidalem ob menstruum excernentia sunt ramificationes venæ portæ, peculiarem nexum cum utero & hepate habentes, splenica nimirum; hæmorrhoidalis & ea, quæ inde ad uterum transit; pancreatico-intestinalis seu duodenalis; quod si igitur a sanguine hæmorrhoidali ac menstruo refluxo oppletiones, obstructions & stricturæ antipræcticae oriuntur, quibus venæ splenicæ, hæmorrhoidales atque uterinæ afficiuntur, facile accidit, vt effectus non solum ad ramum pancreatico-intestinalem duodeni, sed ad finem venæ portæ ipsumque ductum cysticum propagetur, vnde effusio bilis in hepar & exinde regurgitatio & diffusio coloris flauis in omnem humorum massam extenditur. Et valet hic illud: *confluxio vna, conspiratio vna, consentientia omnia*. HIPPOCR. *de alimentis*. Qui igitur in corporis humani phænomenis obseruandis non incuriosi sunt, optime de huius rei veritate certiores redduntur, si animaduertere velint, viros hæmorrhoidibus, virgines, feminas mensibus obstructis interdum, tametsi non verus & perspectus adsit icterus, flauedine, maxime in oculis conspicua, esse suffusos, imo etiam eo tempore



pore, id quod FORESTVS iam annotauit, quo istæ hæmorrhagiæ, micantibus adhuc naturæ ad eas expediendas moliminibus, impeditæ fluunt & modo retrorsum, modo extrorsum tendunt, mox etiam in illis flauus, mox viridescens aut ex utroque permixtus obseruatur color, sie sehen grün und gelb, id quod profecto a nulla causâ alia, nisi ab humorum restrictione & bilis in reliquum corpus quodammodo regurgitatione dependet. Hoc etiam deprehendimus in *gravidis*, utpote quæ non raro satis diu flauo eiusmodi colore perfusæ incedunt, quid? quod interdum toto gestationis tempore eundem præ se ferunt, & infantes exclusi aliquando eodem colore præter consuetudinem infecti sunt, præsertim si eosdem immaturos seu, uti quidam loquuntur, non vitales ediderint, tametsi verus icterus ab ordinario illo colore ictericode, quo infantes statim post partum tincti obseruantur, longe differat; hic enim color nullius est considerationis, & post debitam meconii excretionem sponte sæpius euanescit. Grauidas autem & profecto subinde subiici ictero, sola plethora omnino ansam præbente, non longiori eger demonstratione. Etenim sanguis, extra grauiditatem excretioni, iam vero embryonis nutritioni destinatus, non semper, varias ob causas nimia quantitate generatus, eam in rem potest impendi; vnde si ad vasa circa & versus vterum, quæ hoc tempore, quia per illa embryo nutritur, per se quidem maiori sanguinis copia esse impleta debent, tantum tamen aduehitur, ut plane capere non possint, oportet omni-



no reuehi ad venam portæ & sic ad hepar, vnde eadem ratione, quam paullo ante dixi, icterus sequitur, idque eo magis, si per causas occasionales, terrorem, mœrorem, iracundiam, in eiusmodi statu plethorico talis restrictio sanguinis efficitur. Quod autem interdum icterus in grauidis maxime sit suspectus, de ea re in præsentia vberius agere iam nihil attinet. Vid. ILL. ALBERTI *Iurispr. medic. P. II. p. 578.*

## §. XI.

Si igitur sola plethora hoc præstare obseruatur, quid prolixè differere opus habemus de *vitiis* venæ portæ & hepatis *chronicis*, quæ non raro in malo hypochondriaco & hysterico aut tam quam ipsius plethoræ mala consecutaria aut ab alia causa producta offenduntur; itemque de illis malis, quæ per febres intermittentes corruptas, vomitum cruentum male tractatum, dysenteriam per adstringentia curatam inuecta sunt; qua ratione enim icteri causa fieri possint, vt demonstremus, non longe abierimus. Si e. gr. *scirrhosa hepatis constitutio* præsto est, vasa, bilem excernentia & excipientia, premuntur atque infarciuntur, adeoque cum bilis ad poros bilarios deuehi non possit, per vasa lymphatica reflua cum sanguine solet misceri; *ductus cholidochus* cum *cystico bile viscida*, *tenaci* aut iam in veros *lapillos* degenerata, quando oneratur, vel lapilli exinde in cololum vesicæ delati, ob angustiam, eius hic detinentur, vias hæcæ occludunt, obstruunt, & sic bilis ad colatoria coacta & cum sanguine mista, in omnes partes diffusa producit icterum. Eiusmodi autem causas ali-



aliquando existere, de illa re testantur ictero defun-  
ctorum examina. Conf. BONETI *sepulcret. L. III.*  
*sect. 18. A. N. C. a. c10 dclxx. obs. 44.* STAHLII *col-*  
*leg. causal. maior. pag. 620.* ILL. PRAESID. *patho-*  
*log. tab. XII. pag. 203.* & quæ alii plures de hac mate-  
ria cum schola medica communicarunt. Sed satis  
de hoc. Ab obstructionis causa iam ad eam, quæ  
vasis & ductibus biliferis *constrictionem* infert, pro-  
gredior.

§. XII.

Quod si hic calculum recte posuerimus dupli-  
cem rationem, *moralem* aliam, aliam vero *physicam*,  
deprehendimus. Ad priorem quod attinet, accu-  
sanda sunt hic animi *pathemata*, maxime *iracunda*,  
quæ quantum ad icterum efficiendum valeant, per  
experientiam vel apud vulgum est notissimum.  
Natura hominis per iracundiam vehementer com-  
mota motus promptissime deferuntur in ventriculum  
& duodeno connexos ductus nervosos bilarios, soli-  
dorum tonum & stricturam augent, fluidis impetu-  
osorem actum inducunt, in primis autem humor in  
vesica fellea commouetur copioseque effunditur.  
Pessimæ notæ hic est illa iracundia, quæ cum tristitia  
aut motu, vbi vindicandi occasio aut facultas deest,  
coniungitur; eiusmodi enim motus in propria cor-  
poris viscera agit insolentius, & cum tunica illa ner-  
uea, *capsula Glissoniana* dicta, quæ arteriam hepati-  
cam, venam portæ & poros bilarios circumdando ad  
subtilissimos exitus & meatus comitatur, spastice  
afficitur, simul cholidochus in consensum venit, &  
C 3  
sic



sic libero bilis transitu intercepto bilis necessario re-  
 gurgitans sanguinem conspurcat coloremque flauum  
 toti inducit peripheriæ. Imo est hic motus insolentis-  
 simus, quando in vesicula fellea aut ductibus bila-  
 riis calculi aut alius concretus humor continetur;  
 ibi enim harum partium tunicæ nerueæ musculosæ  
 violentissime intenduntur omniaque consueta ictero  
 symptomata fiunt multo grauiora. Stricturæ autem  
 per iracundiam tacitam & suppressam, vindictam  
 natura meditante, non solum pertinaciter durant,  
 sed in talem sæpe consuetudinem abeunt, vt leuis  
 quoque animi commotio statim vim suam in viscus  
 hepatis & vasa biliaria exserat & tandem earum par-  
 tium vitia chronica inferat. De ictero, a metu, ter-  
 rore, mœrore oborto, variæ exstant obseruationes  
 auctorum, etiam in *gravidis*, vid. BINNING. cent.  
*V. obs. 37. cet.* Verum qui grauidarum conditionem  
 & hinc inde iam allata, plethoram & sensibilitatem cum  
 primis considerat, simulque perpendit, motus in  
 grauidis promptissime ad vterum deferri & cum eo  
 partes connexas, horumque pathematum modum  
 agendi perspicit, facili negotio etiam intelligens erit  
 icteri, in illis per hæc pathemata oriundi, quare plu-  
 ra de hac re addere non placet. Ad *physicam* ratio-  
 nem refero ea omnia, quæ violento & fortiori mo-  
 do stricturas inducunt, *venena*, *emetica* & *catartica*  
*drastica*, & hæc duo in primis in illis morbis data,  
 in quibus vitium non tam in ventriculo & intestinis,  
 quam in visceribus venæ portæ hæret; in his enim  
 per misera & infausta eiusmodi auxilia stricturæ &  
 infarctus



infarctus iam praesentes augentur facillimeque producitur icterus, idque ob magnam consensionem, quae est ventriculum inter & duodenum cum ipsis ductibus bilariis. Maxime autem quod ductus cholidochus per duodeni membranas feratur, & dexter nerui intercostalis ac paris octauum ramus, qui ventriculum adit, ramum quoque ad hepar. eiusque canales biliferos mittat. Itaque propter hunc consensum euenit, vt a spasmodicis ventriculi & duodeni per vehentiora emetica, cathartica & venena assumpta icterus oboriatur. Pestilentissimus ergo est error medicorum & murice quasi prohibendus, qui talia hypochondriacis & hysteriacis propinant, itemque in febribus intermittentibus, in quibus viscera venae portae simul spisso sanguine laborant, vomitu cruento, vomitu grauidarum reliq.

§. XIII.

Et haec dicta sunt de ictero *idiopathico*, iam quaedam addere libet de *symptomato*, & quidem primum de *critico*. Icterus per modum *criseos* in febribus acutis evenire, res in nostro climate non est ignota, vnde etiam AVERRHOES HIPPOCRATEM, qui illam crisin ictericam, quae diem septimum ante vertit, dicit esse malam & periculosam, castigat & per observationes sui climatis refutat. *L. IV. pag. 68. RODERICVS A CASTRO Tr. quae ex quibus L. III. c. 20. pag. 220.* icterum iudicat esse apostasin vniuersalem. Verum quicquid sit, de prognosi infra, hic vero de eius causa, quoad eius, fieri potest brevissime, differamus. Causa igitur, ob quam icterus *febrilis biliosus* *critice*



critice accedit, est deoppilatio hepatis & vasorum biliariorum, quo fit, ut bilis, quæ adhuc quasi in sequestro posita fuerat, bona ex parte ad vasa sanguifera delata & reliquis humoribus immista in peripheriam eiiciatur. In *non-critico* autem, si eiusmodi bilis diffusio vel nimis cito vel sero accidit, res longe secus est, hic nimirum in culpa esse deprehenditur maior & vix superanda obstructio, id quod etiam valet, si icterus *febrilibus lenteſcentibus ac intermittentibus* eveniat.

## §. XIV.

Restat adhuc *icterus niger*. In eius causis quædam quidem sunt sententiarum inter auctores discordantia; verum omnino probabile est, consistere eius causam in *chronico* & contumaci *hepatis* & *lienis*, raro *pancreatis*, vitio, & proinde eum esse longe periculosiorem flavo. Pluribus illius mentionem iniicere non iuvat, quia proprie de flavo, cui etiam competit in primis supra data definitio, agere statueram.

## §. XV.

Omnis icteri *prognosis*, quum perspicua causarum consideratione nitatur, hac præmissa nunc eo facilius erui poterit; quo *leviores* enim illæ sunt, eo feliciorum spondent icteri curationem: sin minus, omnino fere semper habent recursum. Et ex ea ratione in *junioribus* minoris est periculi & facilius proficiatur, quam in *provectoribus*, & varias ob rationes in *gravidis*. In omnibus autem subiectis, cuiuscunque sint ætatis, sub curatione attendendum est, utrum *præcordiorum angustia* imminuatur; hoc enim dum fit, res adhuc salva est: sin minus, & repentina coloris icterici



icterici mutatio in album evenit, triſte ſignum eſt ob-  
ſtructionis, omnem bilis ſecretionem impediens.  
Quid porro de ictero ab abuſu *ſpirituosorum* inducto  
fit ominandum, facile liquet, ex cauſſis ſupra dictis:  
efficit tandem vix irreparabilem viſcerum & humo-  
rum depravationem. Icterus a *calculis* ortus per eo-  
rumdem ex ductu cysſtico & cholidocho, intra mem-  
branas duodeni tranſitum atque exitum per anum in-  
venientium, maximis licet ſtipatum cruciatibus ali-  
quando ſublatus traditur. Si ex impedito ſanguinis  
*hemorrhoidalis* & *menſtrui* negotio inductus eſt, his  
perite revocatis & liberata a ſanguine copioſe reſtuo  
vena portæ facile tollitur. Ab *iracundia* autem ortus  
non niſi vinculis & ſtricturis inferioribus relaxatis ce-  
dit. Icterus *idiopathicus* raro cum magno invadit  
imperu & motuum apparatus; *ſymptomaticus* vero ma-  
ioris eſt momenti, maioremque expoſcit naturæ  
natum & antipraxiam, vnde etiam gravioribus iunctus  
eſt ſymptomatibus. Si febris *bilioſis*, inflammato-  
riis malignis, contagioſis diebus *criticis* accedit, boni  
ominis bilis ecceſſum conſtituit, obſtructionis in hepa-  
te reſolutionem promittentem; ſi autem non debi-  
to tempore, vel nimis cito vel ſero fiat, ſignum eſt  
imperfectæ deobſtructionis, vnde etiam ſymptomata  
graviora accedunt, & non raro *hydrops*; quæ res HIP-  
POCRATIS theſin illuſtrat, quam de icteri ſalubritate  
& noxa *Coac. prænot. 321.* protulit, *icterus*, inquit, *ſi an-  
te diem ſeptimum acceſſerit, malum ſignificat; ſeptimo  
autem, nono, undecimo ac decimo quarto iudicationem  
adfert, dum præcordia non induret. Quod ſi ſecus con-  
tingat,*



tingat, res in dubium vertitur. Quod si igitur febribus lentis succedit, consumatam & letiferam plerumque obstructionem pro causa agnoscat. Febribus intermittibus accedens resolutæ quidem obstructionis signum habetur; quod si vero febres adstringentibus suppressæ fuerint, icterus hic non vacat periculo læsis iam visceribus, si autem illa adhuc salua sunt, illis per congrua medicamenta in tempore restitutis non mali est ominis. Icterus tandem in consuetudinem abiens subiecta disponit ad cacochymiam, cachexiam & hepatis vitia chronica, quo frequentior enim viscerum fit contractio, collectiones in hepate generantur scirrhusæ, hepar induratur; cuius rei fidem faciunt ictero tametsi sublato remanens respirandi difficultas, præcordiorum angustia, tussis sicca, quasi asthmatica, phlogoses, somnus inquietus & pressio in hypochondrio dextro, quorum finis tandem est ascites cum febre lenta & hæctica. Ad icterum nigrum quod attinet, ille vix spem salutis habet reliquam; nam in eius subiectis humores, viscera, verbo omnia sunt in vitio per se difficulter superando, quod per illum consumatur & hominem ad exitum letalem promovet.

## §. XVI.

Sed hæc adduxisse iam sufficiant. Progredior ad princeps dissertationis momentum, quippe cuius causa omnis labor susceptus erat, nimirum, quo tandem modo icterus gravidarum circumspicere sit tractandus.

## §. XVII.

Præter genuinam morbi eiusque indolis cognitionem, e fundamentis pathologicis breviter modo suppe-



suppeditatam, ad hoc momentum pertinet & bona methodus & bona remedia. Etenim bona methodus est fundamentum & anima quasi rutæ ac felicitatis praxeos. Vnde clarissimus ille professor PADVANVS, & felix medicinæ practicus, HIERONYMVS CAPEVACCIVS, auditoribus suis, arcana ab ipso desiderantibus, rectissime respondit: discite meam methodum, & habebitis mea arcana. Et ita res quoque plane est comparata; bona methodus est etiam vera methodus, & bona suppeditat medicamenta. Bona vero medicamenta quum pauca sint, ideo & ego in *ictero gravidarum tractando* non multa, sed pauca, eaque *dextre & circumspecte* adhibenda remedia sedulo commendabo. Vid. B. STAHLII differt. de *abusu multorum remediorum*.

§. XVIII.

Demonstraturus igitur hunc *circumspectionis* modum, eundem, quia opposita iuxta se posita magis illucescunt, non rectius, opinor, & facilius intelligemus, quam si *ordinariam*, eamque paullo *efficacior* methodum cum ea, quæ *lenior* atque in gravidis *necessaria* est, quam quæ maxime, curatius comparaverim.

§. XIX.

Quum autem, id quod per antecedentia evidens est, *duplicem* in ictero habemus causam, *obstructionis* alteram, alteram vero *constrictionis*, omnis quoque in illo superando methodus *duabus* fere *indicationibus* seu regulis practicis continetur.

§. XX.

Nimirum 1) mucosum & tenax coagulum, hepar  
D 2 vel



vel ductum cholidochum obstruens atque infarciens, & sic liberum bilis ad intestina transitum impediens diluendo, attenuando, incidendo, dissoluendo abstergendo & discutiendo remouendum est, vt sic mobiliiores redditi humores sui que iuris iterum facti motum progressivum subeant, viæ obstructæ aperiantur, & murice quasi remoto ordinarius bilis & naturalis ad intestinalia transitus atque exitus restituatur, adeoque maiora ab obstructione metuenda damna plane præscindantur. Deinde 2) in ictero a motu constrictorio inducto fibræ in hepate & ductibus bilariis nimium intensæ sunt leniendæ, emolliendæ & relaxandæ, eundem in finem, quem prior respicit indicatio, scilicet vt parietibus vasorum & ductuum antea compressis & coarctatis denuo in pristinum statum naturalem restitutis, bilis legitime e sanguinis volumine possit euolui, expediri, secerni & ad intestina deduci.

## §. XXI.

Quum vero remedia, tamen optima, atque hisce duabus regulis therapeuticis apprimè accommodata, alio cruditarum saburra onerata ac pressa viscera affecta intimius penetrare non possint, vimque salutarem amittant, quin ipsæ feces aluinæ negliger aut plane non expeditæ symptomata non augeant solum, sed successu temporis magis magisque indurata maiorem & difficiliorè exposcant emolliitionem; tum sub icteri curatione semper aluinæ conditionis ratio sedulo est habenda.

## §. XXII.

Quod si nunc inquirimus, quo tandem modo duarum indicationes practicæ ab auctoribus in usum referan-



ferantur, *triplici* id fieri modo deprehendimus fortissimo nimirum, *fortiori* & denique *leniori*. Iam vero quum sub *rationali* morborum curatione methodus lenior aut saltem, positis rerum circumstantiis, fortior omnino longe præferenda sit heroicæ aut fortissimæ; fortissimam omniaque vehementiora eiusdem conamina per emetica, cathartica, resoluentia & diaphoretica drastica seu impetuosè agentia, quicquid alii friuola atque fallaci confisi experientia in contrarium arguentur, uti semper, ita etiam hic vel maxime, non in subiectis illis solum, de quibus præsens agit dissertatio, sed in aliis omnibus ictericis penitus damno, reuicio & proscribo.

§. XXIII.

Etenim *vomitoria*, tametsi multi in ea sint opinione, ad viscera infarcta felici successu expedienda hic plane non conducunt. Et licet non negandum sit, per emetica, ceteris bene se habentibus, sinceram tandem bilem in casu recenti foras eiici; tamen sana ratio cuiuslibet, de illis serio arbitranti, contrarium suadebit: quandoquidem omnia symptomata efficiunt grauiora, obstructions & constrictiones augent, bilem premunt & maiori copia eandem ad sanguinem adigunt. Fieri etiam aliter non potest; folliculus enim fellis sub emeticorum commotionibus fortius comprimitur, & quia obstructio quædam a mucoso & tenaci coagulo, aut strictura intestini duodeni versus ductum cysticum præsto est, maiores effusiones bilis & diffusiones per omnem sanguinis massam contingit, vnde, irritis hisce conaminibus,



bus, non insigniores *angustie* solum & *cardialgie*, sed *febres plane acute & lente hecticae* introducuntur.

## §. XXIV.

Ad *Cathartica* fortiora quod attinet, illa penitus quoque hic non valent. Euocatis enim nimio eorundem impetu humoribus viæ exhauriuntur, & per *æLiv* suam fortiolem intestinorum arrosionem facile efficiunt vaforumque collapsum habent comitem. Vid. B. HOFFMANNI *dissert. de medicina emetica & purgante post iram veneno*.

## §. XXV.

Quæ quum ita sint, & eiusmodi drastica remedia non sine periclitantis sanitatis discrimine in aliis subiectis tuto adhiberi non possint; næ ille, qui ista tamen in gravidis machinari conaretur, faceret intelligendo, vt nihil intelligeret, imo vero cum ratione insanire videretur. Dicit enim satis non potest, quam absurdum hoc esset conamen, quantumque detrimenti feminis gravidis afferret. In illis enim consueta ictericis pathemata varias ob causas, plethoram, teneritudinem, sensibilitatem atque in primis foetus *farcinam*, vterum omniaque cum illo connexa, omne præsertim venæ portæ systema prementem, per se sunt graviora; quod si igitur medicus quidam prorupta audacia impudens ita medendo transigeret cum gravidis ictericis, non solum omnia symptomata, angustiam cum primis & *cardialgiam*, mirum quantum auget, sed etiam sine ulla excusatione ad abortum præberet ansam, quin & in futurum adhuc esset in culpa, si noua facta graui-



graviditate, eodem tempore, quo antea, idem accideret abortus.

§. XXVI.

At vero dixerit quispiam, dari tamen gravidas, quæ gestationis tempore emetica & cathartica audacter, & quasi ordinarium suum, spretis medicorum dehortationibus, cum euphoria & nullo successu infelici adsumant. Ita est, non nego, sed per experientiam idem edoctus huic rei lubens subscribo. Et hoc eo magis ratione vomitus gravidarum sponte natura primis plurimum mensibus suscepti observamus, utpote qui rarissime ciere solet abortum; & quod si contingeret, ut fieret, eiusmodi vomitus excedens, tamen non æque nocet, quam qui per incongrua & impetuosa medici auxilia excitatur. Quid, quæso, tandem esset, cur perversa quarundam gravidarum consuetudo regularum per locupletissimum experientiæ suffragium confirmatarum vim & veritatem infringeret? Hic ab vno vel altero subiecto inter sexcenta alia eiusmodi drastica remedia non sine periculo admittentia reperiundo non illico valet consequentia. Ego saltem tanti poenitere non emo, sed semper cautissime mercari studebo.

§. XXVII.

Quid enim quæris? Si calculum recte posuerimus, nec *methodum fortioorem*, tamen in ceteris vtilissimam, in gravidis ictericis valere, sed illam itidem multa potius incommoda inuehere & damna deprehendimus. In hunc censum veniunt *laxantia paullulum efficacia, resolventia sulphurea, gummi resinosa,*



*nosa, essentificata commouentia, decocta vinoso, diuretica acriora, specifica efficaciora & reliqua.* Sic etiam omnes sudationes per calida diaphoretica & regimen coactum productæ ancipitis sunt euentus; blanda enim & æqualis tantum diapnoe in hoc morbo requiritur. Quid? quod balnea, ad colorem flauum abluendum, præscribere, labor est superuacaneus; imo in sensibilibus & minus adsuetis, præsertim si illa sunt calidiora & diuturnior in iisdem iniungatur commoratio, plane noxius. Vt me paucis expediam, omnia hic excludenda sunt, quæ sanguinem ad orgasmum excitare valent, quibus enim malis introducendis plethora in grauidis commota ansam præbere possit, quem fugiat, credo fere neminem. Videmus hoc vel in aliis ictericis, quibus balnea sudorifera inducunt inflammationes, febres lentas, artuum tremores, arthritidem, hypochondriorum spasmos, imo contracturas.

## §. XXVIII.

Maxima cautione etiam opus estratione *adstringentium*, vtpote quæ non raro heteroclitos edere solent effectus, in primis nimio maturius, causâ icteri necdum sufficienter correctâ & subactâ, propinata; aut enim viscera intensius constringunt atque infarciunt, aut saltem, natura per nauseam in contrarium agitata, grauiores catharses excitare obseruantur. Quæ quum in aliis eueniant, quæ tandem grauidis fierent? Profecto multo periculosiora, id quod cui libet ex iam disputatis intellectu erit facillimum.

## §. XXIX.



§. XXIX.

Ad *sympathetica* experimenta quod attinet, ad illa nemo prudens, qui, quid vel sensibilitas & imaginatio in gravidis possit, serio cogitat, facile deveniet; tantum enim abest, ut semper in ictero effectui respondeant, ut potius, quia fere non nisi in motus agunt, praesertim si apospasmata e corpore humano putredini aut vstioni exponantur, & matri & foetui maxima damna inferre valeant.

§. XXX.

Quum igitur ex hisce vltro citroque disputatis dispalescat, icterum non tolerare fortiores commotiones, sed omnium excretionum lenem exposcere promotionem, in gravidis ictericis omnino cautius mercari discendum, adeoque nihil adhuc restare videtur, quam ut paucis aperiam, quo modo & per quamnam remedia hoc circumspecte fieri possit.

§. XXXI.

Quum autem obstructionis & adstrictionis causa non statim a tironibus cognoscatur, nec semper ab aegrotis eandem possint expiscari, me hic ita geram, ut talia remedia, quae utrique causae expediendae abunde sufficiunt, vnice commendem, scilicet quae viscidam materiam, viscera obstruentem, reddunt mobilem, & fibras a constrictione nimium intensas leniunt & relaxant, omniaque in pristinum statum naturalem iterum vindicant, adeo ut eiusmodi remediorum vsu dolorum, tametsi indirecte, acquisita mitigatione omnibus *anodynis* ac *tonicis*, stricte sic dictis, facile carere possimus.

E

§. XXXII.



## §. XXXII.

Inter blandiora eiusmodi remedia, sanguinem nullo impetu ad orgasmum commoventia, principem obtinent locum *salia media & digestiva, arcanum tartari, arcanum duplicatum, tartarus vitriolatus, tartarus tartarizatus*, imo *nitrum* ipsum, cum illis coniunctum; porro aut *diuulentia* illa, quotidiana consuetudine familiaria, *thèe & caffèe*, aut *infusa* alia *aquosa* ex radicit. *Cichor. & taraxac.* itemque *ptisanæ* ex *hord. avena* & aliis *mucilaginosi, lenientibus & emollientibus* paratæ. Ad primas vias a cruditatibus liberandas optime conducit *rhabarbarum* vel in substantia cum cremore tartari vel sale quodam medio & absorbente mixtum, vel adhiberi potest eius *tinctura aquosa*; egregie quoque huic fini inferuiunt *pil. Becher. genuinæ*, siue a STAHLIO siue ab alio viro perito legitime correctæ, vt pote quæ non solum blande subducentia, sed balsamica etiam & roborantia continent, & proinde illarum vsu tonus ordinarius & naturalis partibus interioribus optime restituitur. Partes *biliosas*, humoribus insinuatæ, ac per omnem corporis compagem diffusas atque ad *peripheriam* delatas relegamus per leniora *diaphoretica*, quo pertinent omnino supra commendata *infusa aquosa*, vtpote quæ materiam præparando & mobilem reddendo virtutem suam in hunc finem *remotivæ* exserunt, item remedia, quorum ope diaphoresin leniorem *positivæ* promovemus, qualia sunt *antimoniata fixa*, & illorum omnium optime hic valet *antimonium diaphoreticum*, pulveribus laudatis immixtum.

## §. XXXIII.



§. XXXIII.

Ad methodum specialiorem autem quod attinet, vtantur grauidæ ictericæ mane aut *rhabarbaro*, quacun- que tandem formula illud arrideat, aut *pil. STAH- LII* versus prandium & a meridie puluere quodam *digestiuo* ex *sal. med. P. II. absorb. citrat. & nitr. depur. aa. P. I.* & vt *lenis diaphoresis* obtineatur colorque icteri- codes ex humoribus biliosis ad peripheriam delatis, quem grauidæ longe diutius retinere solent, quam alii icterici, sensim dissipetur, hisce pulueribus inter- ponantur bis per diem *diluentia illa aquosa* antea com- memorata, & pulueri *digestiuo* versus somnum *anti- monium diaphoreticum* immisceatur, e. gr. Rec. *Tar- tar. vitriol. conch. citrat. aa. P. ij. Nitr. depur. antim. diaphor. aa. P. j. M.* quin etiam hæc formula aliquoties per diem optime confert, quando *commotiones febriles cum siti* concurrunt. Quodsi *altiores* egerit *radices icterus*, fortioribus remediis hic plane non opus est, sed eadem *blanda* valet *methodus*, diutius tamen con- tinuanda.

§. XXXIV.

Superato autem morbo ad præcauendum recur- sum quid in grauidis necessarium sit, ex ipsa tractatio- ne pathologica facile intelligere possumus. Ante om- nia *venæ sectio in pedibus* est instituenda, vt pote quæ omnibus ceteraquin modis ob multa alia avertenda mala in grauidis laudatur quicquid etiam HIPPOCRA- TIS obseruatio, quæ non nisi de largissima sanguinis profusione, tunc temporis vñitata, agere videtur, in contrarium suaderet. Quod ad *dietam* attinet, pro- E 2fecto



36 *Dissert. inaug. medica de Ictero grauidarum &c.*

fecto consuetudo multarum regularum vim eneruat, & aliis alia concedit vel interdicit. Seposita tamen diæta nimium scrupulosa, vanitatem magis, quam veritatem ostendente, eo maxime laborandum est, ne grauidæ ob peruersum appetitum, cui non raro inhærere solent, in *quantitate* potissimum errorem committant, non tamen, præsertim in sensibilibus, penitus neglecta ciborum *qualitate*, quo nomine utique fugienda ab illis sunt ea, quæ sanguinem ad orgasmum excitare aut ipsi lentorem & spissitudinem afferre possunt. Ratione *animi pathematum*, præsertim *iracundiæ*, multa quidem possent præcipi, sed hic in charta eiusmodi præceptis pauca obtinemus; nec datur eorundem *curatio & præseruatio pharmaceutica*, sed *medicina spiritualis*, animus diuinitis ideis & oblectamentis imbuendus. Interim noxii ab illis metuendi effectus, si omnino error commissus est, aliquando possunt occupari, præcipue si causæ materiales concurrunt, e. gr. biliosa acrimonia, siue crassior in primis viis, siue subtilior per sanguinem diffusa, icterum minitans; si enim supra laudata blandiora medicamenta maturius exhibentur, icterus satis promte expeditur & quasi in herba suffocatur.

T A N T U M.

VIRO



VIRO,  
NOBILISSIMO CLARISSIMO  
IOANNI, LEOPOLD. AMAND.  
SCHVNEMANN  
CANDIDATO DOCTISSIMO  
MVLTAM PRECATVR FELICITATEM  
PRÆSES.

*Si quid est, quod ad absolutam quamdam consummata-  
tamque pertineat rationalis medici effigiem, nihil  
sane est aliud, quam formosissima illa subacti iudicii  
filia, cui quidem circumspectiæ nomen impertire  
solemus. Illa enim comitatus, illa ductus veluti filo  
quopiam ariadneo, fieri plane non poterit, quin aspera  
quæque itinera, ancipitia confragosa sedulo vitet con-  
traque nunquam declinet a plana expeditaque rationis  
via. Sicuti autem in vniuerso foro medico illa videli-  
cet circumspectio maiorem in modum est commendanda:  
ita præcipue in gravidarum morbis usum suum diffun-  
dit quam latissime. Etenim in illis non iuniores solum  
non adolescentuli, sed & prob dolor! medicorum haud  
raro veterani maximopere hallucinari, immo grauissi-  
me contra errorum lapides impingere ad solent.*

*Quam*



Quam ob rem non omnino fructuosus salubrius-  
que argumentum seligeri potuisses, CANDIDATE  
doctissime, quam quod de Ictero gravidarum circum-  
specte tractando speciminis inauguralis ergo exarasti.  
Ex duobus, & quod excurrit, annis, quibus hospitio  
meo usus es, tum in theoreticis tum in practicis præ-  
lectionibus atque exercitationibus meis, toties TIBI  
iniuncta fuit illa circumspectio, toties commendata &  
inculcata, ut non possim non bene de TE sperare &  
opinari in subleuanda misella ægrotorum caterua  
omnem a TE adhibitum iri sollicitam operam diligen-  
tiamque emissitii prorsus oculis undiquaque circum-  
spectantem, id quod animo non fucato etiam atque et-  
iam atque TIBI adprecor. Ceterum gratulor sta-  
dium studiorum feliciter emensum, gratulor honores  
breui TIBI conciliandos, gratulor denique Parenti  
TVO Excellentissimo mibique multis nominibus con-  
iunctissimo, & ut illi ad decrepitam usque senectutem  
ac fortunatam canitiem nullo non tempore, gaudio, al-  
leuamento ac solatio fies, ardentem exopto. Vale ac  
Deo commendatus omnia TVA age feliciter. Dabam  
in Fridericiana nostra die III. Calend.  
April. clō lccc xxxviii.

VIRO



VIRO  
PRAECLARISSIMO, DOCTISSIMO,  
IOANNI, LEOPOLD. AMAND.  
SCHVNEMANN  
CANDIDATO HONORATISSIMO

S. D. P.

F. G. P. SEIP.

M. C. OPPONENS.

**T**ritium illud: Amicorum omnia esse commu-  
nia, cum ex multis aliis rebus, tum ex TVO  
suauissimo exemplo CANDIDATE Honoratissime,  
firmissimum multo comprobatissimumque esse perspexi.  
Etenim ex quo compositum TE vidi comparatumque ad  
honores, Aesculapii supremos eosque fulgidissimos reci-  
piendos, non dici potest quanta in animum meum veluti  
influxerit laetitia, quantum gaudium, ita, ut felices  
TVOS euentus communem vtriusque nostrum fortu-  
nam & mutuam esse inter nos felicitatem, pro eo ac de-  
bui, existimauerim. Si quid vero est amicissime SCHV-  
NEMANN quod TIBI aliquantisper inuideam atque  
obliquo, ut aiunt, oculo quodammodo contempler, est pro-  
fecto egregium specimen TVVM inauguralale quod elegan-  
tissime pariter ac doctissime de Ictero grauidarum cir-  
cumspecte tractando commentatur. Atqui vero ita caute  
ita prudenter ita sollicite argumentum bocce fructuosissi-  
mum



num pro ipsius dignitate excutis, plane ut nequeam,  
quin auspiciatissima quæque futura praxi TV A augu-  
rer. Ecquid enim quæso gloriosius est medico, quam  
dubiorum innumerabiles fere nodulos in praxi quotidie  
obrepentes apprime ac nauiter soluere? circumspicien-  
tia soluimus; quid suauius decentius? quam errorum sco-  
pulos deuotare? circumspeditione deuotamus; quid tan-  
dem dulcius? quid acceptius? quam atrocissimos eos-  
demque calidissimos imbecillitatum insultus quasi præ-  
scindere, arcere ac dispellere? sollicita prudentia præ-  
scindimus, arcemus, dispellimus. Age igitur Amice  
dilectissime atque alacriter at circumspecte tamen ca-  
thedram conscende & per totam vitam TV AM in  
praxi medica circumspeditionis TV AE nobis exhibe  
documenta longe luculentissima. Quod reliquum est,  
ut diuini numinis clementia TIBI semper adstet ac  
omnia quæ in posterum agis quæque moliris, fortunet,  
beat ac secundet, est, quod TIBI sincerissima mente  
adprecor. Vale mibique nunquam fauere desine.

Dabam in Salana nostra pridie Calend. April.

cIo lccc xxxviii.



Ma 4713

ULB Halle

3

003 901 068



80











B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Centimetres

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

DE

# ICTERO GRAVIDARVM CIRCUMSPECTE TRACTANDO.

QVAM

AVSPICE DEO PROPITIO ET CONSENSV AC AVCTORITATE  
AMPLISSIMI ORDINIS MEDICI  
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA  
PRÆSIDE

VIRO ILLUSTRIS EXCELLENTISSIMO ATQVE EXPERIENTISSIMO

DN. JOANNE JUNCKERO

MEDICINAE DOCTORE EIVSDEMQUE PROFESSORE  
PVBLICO ORDINARIO, ORPHANOTROPHEI HALENSIS  
ET PAEDAGOGII REGII PRACTICO

DOMINO PATRONO, PRÆCEPTORE, AC PROMOTORE  
AETATEM COLENDO

PRO GRADV DOCTORIS

SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS AC PRIVILEGIIS DOCTORALIBVS  
RITE CAPESSENDIS

AD D.

APRIL. ANNO MDCCXLVII

H. L. Q. C.

ERVDITORVM SVBIICIT EXAMINI

IOANNES LEOPOLD. AMAND. SCHVNEMANN  
MAGDEBVRGENSIS.

HALÆ MAGDEBVRGICÆ,

TYPIS IOANNIS CHRISTIANI HILLIGERI, ACAD. TYPOGR.

13

